



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

XII. Quatenùs creaturis fidendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

nimis dixi: umbras dixisse debueram, cum Isaia cap. 30. *Habentes fiduciam in umbra Ægypti.* Numquam spectasti Jonam sub umbra cucurbitæ, aut hederæ, lætantem, mox mutaturum, cum *vermis ascensu diluculi* hederam percussisset? Sic sunt gaudia & spes mortalium, umbra futilis, verme infirmior, diluculo fugacior, tristitiam lætitiæ eodem momento admistura, & confusura. Nos in umbra illius qui desiderandus est, sedeamus, sub ejus providentia quiescamus.

XII.

*Quatenus
creaturis si-
dendum.*

Sed audio rursus obmurmurantem humanam prudentiam. Equinam enim fæliciores sunt in hac vita, quàm qui vel sibi ipsis facere fortunam possunt, vel ab amicis accipere? Quid humanâ societate fiet, sine fiducia? Nolis igitur patri filium inniti, ægrum medico, pauperem liberali, pœnitentem Confessario, subditum superiori, studiosum ingenio, divitem opibus, ducem militi, Regem potentiæ? Respondeat tibi D. Thomas 2. 2. quæst. 17. art. 4. &

H 4

moneat,

moneat, ut isthæc omnia adspicias, velut instrumenta agentis Providentiæ divinæ. Statuam si interrogas, perfectionemne suam ab instrumento, an verò ab artifice expectet: si respondere possit, artificem statim nominet. Ita tu à Deo bona omnia expecta: artifex est: cæteta ejus instrumenta sunt. Sic Ezechias de Isaïa judicet: sic Esther de forma sua, Assuero placitâ: sic Rachel de mariti Jacobi castis amoribus: sic Josephus de genio suo & fælicitate: sic Salomon de opibus: sic Samson de viribus: sic David de fortibus bellatoribus: sic Judæi de Juda Machabæo: sic Machabæus de fratris Simonis prudentia: sic Moses de Jethro socero & consiliatore: sic de Mose Aaron. Instrumenta Dei sunt: fide illis tamquam instrumentis, quæ, sine opificis manu, nihil penitus queunt efficere. Damnandi itaque, qui, Deum obliti, sese aut alios tantummodò spectant in rebus agendis, sperandisque, ut supra monuimus.